

## Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 141

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Poppo secundus misericordia Dei indigens, posse memoriam mei in hoc loco apud presentes et futuri temporis fratres commendabilem reddere querens, trado illis pro remedio anime mee novum molendinum trans flumen Amblauie situm, a constructoribus Albrico, Roberto, Rouone et Adelardo comparatum, et illud eis in vita sua possidere concedo, ut semper pia mei apud illos sit recordatio. Solvit autem idem molendinum XI sol. per annum; et ne qua in solvendo fiat negligentia, superaddidi decimam dominicalium . . . rum quatuor villarum, Stabulaus videlicet et Ones et Rona et Fosses, ad instaurationem molendini, in tecto, mola, rotis, scerptis, et omnibus utensilibus emendis et sarciendis, ut qui jure molendinum teneret, haberet unde molendino necessaria provideret, et predictum censum fratribus sine aliquo defectu solveret. Ex his autem XL sol. XX in meo ipsa die refectione fratrum, alios vero XX infirmis fratribus deputavi solvandos intrante maio. In villa autem Lengeon duo ab antiquis temporibus habebantur molendina, que dum propter nimium aque defectum illis non valerent sufficere, extranea cogebantur adire. Dum vero prepositure administrarem offitium, in quodam palustri loco maximo sudore plurimorum fontium obstruens meatum st..p.um... ex quo super molendinum meo sumptu ac labore ...simum aquarum impetum. Quod ne forte alicui .... cum meipsum muneribus oblatis sepius exinde constet f... saluti abbatum prodecessorum meorum et subsequentium consulens, usibus illud contuli fratrum, statuens inde sollempniter fieri commemorationem omnium fidelium defunctorum post festivitatem omnium sanctorum, .....sitis ipsa die XV sol. ad servitium fratrum, V vero ad usus pauperum. Addidimus autem ad supplementum residuum adhuc ex duobus prioribus molendinum, ne molendini facta divisio minuendi census XX scilicet solidorum fieret occasio, et ut ea tenentes detineant ex .... et dum opus fuerit restruant ex integro. Quod ne forte scandalizet vel moveat futuri temporis prepositos vel ministros, loco istius concedimus a nobis constructum ubi nunquam antea fuerat molendinum. Obtestamur autem per nomen Dei viventis omnes successores meos et tam presentes quam et futuri fratres, ne aliquando ad alios usus ista velint transferre, sed ut disposita sunt ea sinant inconvulsa manere.